QN. 528, 14. 79. B. m. II
II a 335
(X 1853640)

Quod SS. Trinitas felix faustumq; esse jubeat!

Ex

Philosophia Practica

De

INSPECTIONE LIBRORUM,

publicè disputabunt

PRÆSES

M. JOH. MICHAEL Bonhöfer/

Halâ-Svevus,

&

RESPONDENS

GEORGIUS FRIDERICUS Glandorff/

Heilbronna-Svevus,

D. Aprilis, M. DC. LXXVI.

H. L. Q. C.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS SIGISMUNDI Ziegenbeins.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

BIBLIOTHECA PORICKAVIANA

VIRIS
De Incluta & Libera S. R. I. Re-
publica Hala-Svevica immortaliter
meritis,
AUCTORITATIS MAGNIFICENTIA, SPLEN-
DORIS AMPLITUDINE, CONSILIORUM GRAVITATE,
JUSTITIÆq; ADMINISTRATIONE undiquaq;
EMINENTISSIMIS,
DOMINIS
CONSULIBUS,
QVINQVE-VIRIS,
CONSILIARIIS, atqve
SENATORIBUS,
Patribus Patriæ Laudatisſimis,
Dominis Mecœnatibus, Patronis, Evergetis Studio-
rumq; ſuorum Promotoribus, reſpectivè Patri
humillima obſervantia ſanctiſſimè
ætatem colendis,

Academico hocce Specimine valedictionis vice in illuſtri Leucorea bono cum Deo edito, qvòd ſubjectisſimum ſuum civem ſingulari Favore complexi, præclaris beneficiis hactenus cumularint, perpetuum gratitudinis atq; obſervantiæ monumentum condit, utq; qvaliacunqve propediem divina annuente gratia ad patrios lares redituri ſtudia ſolita Benevolentia excipiant, humillimè precatur.

M. JOHANNES MICHAEL BONHÖFER,
Præſes.

C. B. D.

PRæclarum certè beneficium est singulari benignitate postremis mundi temporibus datum, qvo Deus artem typographicam in Germania primùm mirabili qvadam ratione innotescere voluit. Cùm enim JOH. FAUSTUS, Aurifaber (alii JOHANNEM GUTENBERGIUM, Argentoratensem Aurifabrum nominant, qvem *artis hujus fundamenta Argentorati posuisse, Moguntiæ verò perfectionem operi dedisse dicunt.* CHASSANÆUS part. II. glor. mund. consid. 39. p. 273. JACOB MEYER lib. 16. Annal. Flandr. p. 339. POLYD. VIRGIL. de inventor. rerum lib. 2. c. 7. p. p. 132. Nos suo qvemvis judicio hac in re abundare permittimus, nec in tam difficili controversia qvicqvam definire volumus) *literas in ære finxisset, obductoq; atramento chartæ impressisset, vidit homo solers literas exprimi.* Hinc cogitare cœpit, an conjunctis literis integræ sententiæ excudi possent. Hoc cùm effici posse lætus animadverteret, per industriam longius progressus nobilissimam artem typographicam feliciter excoluit. AVENT. lib. 8. Hist. p. 422. SONLEUT. in Oratione de Stud. successu. p. 99. Hæc est illa ars, qvæ humano generi infinita affert commoda, remq; literariam insigniter juvat. Jam enim liberalium Artium, Medicinæ & Jurisprudentiæ Studia, qvæ prioribus seculis satis obscura erant, penitius tractari, præclara veterum & recentium monumenta viliori pretio vendi & emi possunt. Inprimis autem divina hæc ars *ad puritatis doctrinæ instaurationem, Antichristi ejusq; regni revelationem atq; destructionem permultum contulit.* Ne enim unico saltem libello, tanqvam infirmo telo & globo vix uno in loco Antichristus

à magno noſtro Luthero ejusq; fidelibus commilitonibus ferire-
tur, typographia ſecuta amplisſimæ cujusdam machinæ tormenta-
riæ uſum præſtitit. Hæc brevi tempore denſisſimam qvaſi gran-
dinem ejaculata, zizania papiſtica, erroresq; Antichriſti idololatri-
cos deſtruxit, veram doctrinam propagavit, ac plurimis in locis
cos qvi in tenebris & umbra mortis antea ſedebant, ad veram Eccle-
ſiam reduxit. Neqve Antichriſtus ulla aſtutia aut vi
regnum ſuum ab his telis tutum præſtare, aut etiam doctrinam
Evangelii per tantam librorum copiam in orbem terrarum ſpar-
ſam reprimere potuit. Et ſanè, ſi rectè attendamus, *ars typographi-
ca cum dono lingvarum, qvo Spiritus S. Apoſtolos eorumq; diſcipu-
los ad Evangelii in uniuerſum orbem propagationem ornavit, conferri
inprimis qvoad celeritatem commodè poteſt.* Qvemadmodum enim
dono hoc inſtructi Apoſtoli qvovis terrarum excurrerunt, ſaluta-
rem Evangelii doctrinam promulgantes, Eccleſiamq; Chriſto col-
ligentes. Hinc brevi temporis ſpatio plurimi Auditores ad verita-
tis agnitionem adducti ſunt, *qvi ſine mora popularibus ſuis ma-
gnalia Dei annunciarunt.* Atq; ſic paulatim integræ gentes Chri-
ſtianiſmo imbutæ ſunt, vanis idolorum cultibus abjectis. Pari mo-
do pura doctrina artis typographicæ beneficio literis excuſa bre-
vi temporis ſpatio qvamplurimis innotuit. Qvi veritatis agnitio-
ne divinitus accenſi eandem doctrinam in ſuam lingvam tranſtu-
lerunt, excuſamq; in varias orbis partes diffuderunt, eo ſucceſſu,
ut integra Regna, Principatus, ac qvamplurimæ Reſpublicæ (im-
mortales immortali ſint grates!) vera religione bearentur, abjectis
nefandis erroribus atq; idololatricis cultibus. Hinc nullum eſt du-
bium, qvin benignisſimum Numen *ob neceſſariam Eccleſiæ repur-
gationem* multa paſſim præla typographica effici voluerit, ut
ſincera atq; divinitus revelata doctrina per univerſum orbem le-
vi opera & brevi tempore diffunderetur. Hic ſcilicet legitimus eſt
artis typographicæ uſus, *ſi Deo, Eccleſiæ & Reipublicæ ſerviant.*
Qvod ut fiat, *de probis atq; legitimis, ut qvorumvis, ita inprimis
Theologicorum librorum Inſpectoribus diſpiciendum eſt, in qvo etiam
thema noſtrum occupabitur. Etſi qvoqve ex Theologia, (cui qvippe
ſtudio vitam & labores meos conſecravi) nonnulla interdum acceſſive-
rim, qvia tamen ad præſentis thematis illuſtrationem permultum con-
ferunt*

ferunt, veniam mihi facilè polliceor. Cum autem arduum hoc opus virium mearum tenuitatem longisſimè transſcendat, *benigniſſimum Numen ardenti pectore precor, ut S. ſuum Spiritum è cœlo mittat, qui mecum ſit atq; laboret, qvò cœptus labor ſuccedat feliciter!*

Theſis I.

Inſpectio librorum eſt poteſtas civilis viris qvibusdam Politicis & Eccleſiaſticis pietate atqve eruditione claris data, qva libri tum recens ſcripti, tum ex veterum monumentis eruti, accurato examini ſiſtuntur atqve cenſentur, an eorum editio & impreſſio cum Eccleſiæ & Reipublicæ, pietatis atqve honeſtatis commodo aut detrimento fieri poſſit.

EXPLICATIO.

ERit fortaſſe qvi cogitet, me de Inſpectione librorum agentem qvemvis diſcentium ſui qvaſi officii admonere velle, *ut nimirum debita ſedulitate bonos libros inſpiciat.* At hoc tum à conditione mea, tum à præſenti inſtituto longè alienum eſt. Qvilibet potius Deo & Patriæ Studiorum ſuorum rationem tandem reddet. Mihi autem impræſentiarum *de ea ſaltem Inſpectione, qvæ circa libros edendos occupata, an cum Eccleſiæ & Reipublicæ commodo aut detrimento impreſſio atq; divulgatio eorum fieri poſſit, judicat.* Hæc inſpectio antiqviſima eſt, jamq; in V.T. uſu recepta fuit. Id qvod B. Lutherus ex Eccleſiaſt. 12. ij colligit, inqviens: ex hoc loco conjicio, fuiſſe aliqvos ordinatos in populo Iſraelitico, qvorum officium erat relegere libros & veras hiſtorias, qvas digererent in Annales Ebræorum, & reliqvas in ordinem redigerent, ut ſic libris auctoritatem facerent, & approbarent, qvi digni eſſent lectu. Tom. 3. oper. Lat. Jenenſ. f. 282. Inſpectio autem maximè eſt neceſſaria, cùm toto die proh dolor! videamus ea excudi ſcripta, qvæ, qvia heterodoxa & ſcandaloſa ſunt, nil minus qvàm excuſione digna erant.

Freqventia qvoq; sunt eorum Scripta, qvi Virorum innocentium & de orthodoxa Christi Ecclesia immortaliter meritorum famam pessimè proscindunt. Gravi huic malo ea, de qva jam agimus Inspectio efficax præbet remedium. Hujus potestatem qvòd iis, qvibus *Deus summum rerum arbitrium*, aut, ut alii loqvuntur, *clavum civitatis dedit*, rectè assignemus, facilè patet. Summum enim imperium civile in totam civitatem adeò validum est, *ut ejus directioni nihil, qvod publicæ salutis & civilis beatitudinis partem constituit, subtrahi possit*. Et hoc reqvirit formalis Imperii ratio, qvæ, cùm nonnisi unum in Republica summum admittat, *summitate sua omnia includit negotia*, ne, si vel unum subtrahatur, qvod qvidem in civitate, extra tamen civilis potestatis sphæram sit, plura in civitate summa fierent, qvod ipsius summitatis rationi, cujus ea est conditio, ut nihil aliud adæqvet, nedum superet, planè repugnat. Qvemadmodum in corpore naturali *una voluntas omnium membrorum atq; actionum imperatrix est*; ita in civili corpore unica est imperandi vis & facultas. Neqve aliud ipse ordo publicus postulat, cujus est ab uno summo principio omnes actiones civiles producere. *Qvemadmodum in horologio aliqvo αὐτομάτῳ à primo movente totius corporis motio dependet*; ita à Majestate operosa civitatis machina movetur, qvæ spiritu illo destituta aut qviescit, aut planè intermoritur. Huic autem Principis inspectioni non profanos tantùm, *sed sacros qvoq; libros subjicimus, cujus est omnem dare operam, ne qvid contra pietatem & honestatem imprimatur*. Neqve enim Principem à sacris arcemus, cùm imperium ejus non in profana tantùm, sed in sacra qvoqve, qvantum qvidem ad publicam salutem & concordiam conducit, efficax sit, ac probè constet, divino ore eximiè laudatos, & infinitis bonis ditatos fuisse Reges, qvi sacrorum curam impensè amârunt; alii ex adverso, qvi divinum cultum aut collabi siverunt, aut collapsum non restituerunt, minis, diris atq; suppliciis devoti sunt. Si autem extra Regum jus & agendi facultatem posita fuissent sacra, eorum neglectum Deus Regibus iniqvè imputasset.

Neqve est qvod alii objiciant, *Principi nullum jus circa sacra, atq; adeò circa librorum inspectionem competere, eò qvòd labi & errare possit. Non vident enim Principem hac ratione ab omnibus*

bus civilibus negotiis arceri. Qvoties in jure dicendo, in bello & pace, in fœderibus atqve legibus ferendis graviſſimè impingitur, qvæ omnia tamen in Principum jure ſunt. Non pugnant invicem labi poſſe & judicare, niſi omnia judicia de humanis etiam rebus tollere velis. Veritas in puteo deliteſcit, lora & perticæ, qvibus illam extrahimus, judicium eſt, qvod cum à re qværenda ideò deteremus, qvaſi labile ſit & incertum, veritas ipſa nunqvam invenietur. Etſi autem Princeps *rerum, qvæ à Theologis diſceptari ſolent, minus peritus ſit*, eo tamen obtentu à judicio excludi neqvit. *Neq; enim confundenda eſt aptitudo judicandi cum jure judicii publici ſeu imperativi*, qvæ duo tamen in omni imperiorum genere diſtinctisſima ſunt. Qvot ſervi prudentes ſunt & callidisſimi, ad familiæ regimen Dominis ſuis longè aptiores, qvi tamen ex eo ſtatum ſuum non mutant. In ipſa civitate multi interdum ſubditi & prudentia & moribus imperantibus plurimum præſtant, qvi tamen ſatis felices ſibi videntur, cùm ad conſilium de Republica ſaltem vocati fuerint. Atq; adeò aptitudo judicandi ad ipſum jus nihil confert. Neqve etiam eſt, qvod de ſenſu ambiguo aut obſcuro qvisqvam conqveratur, qvia verbum Dei propè nos, in ore & corde noſtro eſt. *Sanè, ſi qvis ex plebe tardisſimo intellectu inter laborioſas qvotidiani victus & amictus curas ea, qvæ ad ſubſtantiam fidei pertinent, percipere aptus eſt, cur de Rege deſperemus, qvorum tamen corda Deus propiore Spiritu inſtruit.* Adſunt judicaturo divina & humana auxilia, quibus uti poterit. Ad Eccleſiæ preces & deſideria ſurdus non eſt Deus, qvi Regum corda illuminat & erudit, jubet eos exemplum legis deſcriptum penes ſe aſſervare, inq; eo omnibus diebus vitæ ſuæ legere. *Miniſtri Eccleſiæ, qvi ſenſus habent in Scriptura exercitatos, Principem de rebus ſacris judicaturum rectè informant, ſalutaria ſuggerentes conſilia. Hinc ergò fortiter concludimus, Principem divino qvippe & humano præſidio fretum de ſacris qvoqve libris vel edendis vel ſupprimendis feliciter judicare poſſe.* Qvod autem Eccleſia qvoq; ad Inſpectionis officium admittenda ſit, ſeq. theſi docebimus. Vide interea, ſi placet, de jure Majeſtatis circa ſacra peculiari Tractatu profeſſo ſtudio agentem Dn. HENRICUM HENNIGES.

Th.

Th. II.

Inſpectio legitima non eſt, ſi ſoli Politici, neglecto Miniſterio, Inſpectionis officium exerceant.

EXPLICATIO.

Suum cuivis tribuendum. Reddite, qvæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & qvæ DEI ſunt, DEO. Partem Politicis concedimus, totum jus eidem competere negamus. Politici jura ſua gnaviter defendunt, nec patiuntur, alium qvendam, v.g. Eccleſiæ Miniſtrum illa affectare; ita qvoqve nefas eſt, ſi debitum eccleſiæ jus rapiunt. Hîc obiter notandum, *Inſpectionis jus, qvod Eccleſiæ aſſignamus, non aliud, qvàm directivum, atq; adeò à jure imperativo, qvo ſolus Princeps gaudet, accuratè diſtingvendum eſſe.* Qvid a. hæc diſtinctio ſibi velit, in conflictu bono cum DEO pluribus dicam. *Inſpectio enim pars eſt judicii de doctrina, qvod Eccleſiæ à Chriſto commiſſum eſt. Probandi ſunt Spiritus non à ſolis Politicis, ſed à tota Eccleſia, inprimis verò à Doctoribus illius. Horum eſt omni curâ prohibere, ne qvid contra religionem & honeſtatem in publicum prodeat.* Vide DN. D. FRITSHII Diſcurſ. de Abuſ. typogr. tollendis. Omnem ex adverſo operam dabunt, *ut doctrina pura & incorrupta ſervetur*, & contra qvosvis errores ſanæq; doctrinæ corruptelas, ſine ullius hominis aut Angeli reſpectu propagetur: ad normam verbi DEI omnia accommodentur, vera ab erroneis diſcernantur, confeſſiones neceſſariæ errorumq; refutationes concinnẽtur, graviora peccata atq; ſcelera voce & ſtylo reprehendantur, boni atq; neceſſarii libri excudantur, calumnioſa atq; famoſa ſcripta impediantur. Hinc à piis Magiſtratibus *pia hæc conſvetudo* piè ſemper (ut ex hiſtoriis atq; legibus Imperatorum liqvidò patet) obſervata fuit, *ut tam de doctrina & rebus Eccleſiaſticis, qvàm de libris edendis non tantùm Politici*, ſed etiam Eccleſiæ Doctores, *res illas intelligentes, ac neceſſariis donis à DEO prædiți judicarent.* Eadem conſvetudo hodie adhuc in Ducatu Saxo-Gothano laudabiliter viget. V. Ordin. Prov. Sax. art. 1. c. 2. tit. 3. Add. DN. à SECKENDORFF. Teutſcher Fürſten-Staat. par. 2. c. 15. §. 3. Gravisſima eaq; verisſima eſt ſententia:

dentia: *tum demum artes beatas fore, si ii tantùm, qui earum peritiam habent, de illis judicarent.* Pari ratione omnium optimè res Ecclesiæ habent, si ii tantùm, qvi intelligunt, & qvidem *juxta verbum DEI*, non juxta distorta humanæ rationis & Philosophiæ præjudicia judicant, & controversias secundum normam divinam, non secundum carnalium hominum placita dirimunt. Ac si vel maximè jam forte aliqvi Magistrasus ea polleant pietate & sapientia, ut de edendis libris benè judicare possint, omne tn. jus, sc. tam directivum qvàm imperativum eis neqvaqvam concedendum est. Cogitandum enim est, qvantum damnum veritati à seqventibus Gubernatorib. accidere possit, qvi, qvod plerumq; fieri solet, minus pietatis & divinæ sapientiæ habent, ac forte hæresi aliqva occupati sunt. Hi sane potestate sua abusi bonos promiscuè libros suppriment, sanæq; doctrinæ propagationem omnibus modis impedient. Hinc B. Lutherus aliiq; pii Doctores hunc Inspectionis abusum semper damnarunt, *neq; voluerunt scriptorum suorum editionem à solo prapostero & à verbo DEI absono Politicorum judicio pendere. Ipse qvoqve Megalander Lutherus Philippum Melanchthonem in epistola qvadam monuit, ne ad Aulicorum arbitrium scripta sua ederet vel supprimeret, dicendo: mediam operum suorum partem, si Aulæ arbitrium & consensum expectasset, in tenebris mansuram fuisse.* Qvapropter *svavi eoq; arcto & Ecclesiastici & Politici status nexu opus est, qvò effectus tam Ecclesiæ, qvàm Reipublicæ salutaris producatur.* Qvia verò ipsa inspectio à toto cœtu non sine magna difficultate exerceretur, hinc prudenti consilio *certis viris ex Ecclesia & Magistratu electis legitimè* commendari solet. Non autem qvivis ex promiscua plebe ad arduum hoc munus eligendi sunt, sed ii saltem, *qvi pietate, eruditione, fide & dono inter Scripta vera & falsa, inter necessaria & non necessaria, inter utilia & perniciosa discernendi clari sunt. Et hi juramento aut simili obligatione obstringantur, qvòd omnia edenda summa diligentia legere & expendere, vera, necessaria atq; utilia Scripta in DEI gloriam, Ecclesiæ & Reipublicæ utilitatem promovere, neq; ex privato aliqvo affectu impedire velint.* Vide hic omnino DN. D. FRITSCHII Tract. de Typographis inpr. cap. IV. Hoc modo si Inspectio se habeat, omnes Eruditorum

libros eidem ſubjicendos eſſe judicamus, id qvod ſeqvens theſis vult.

Th. III.

Legitimæ Inſpectioni Eruditi qvivis, etiam Theologi libros ſuos edendos ſubjicere debent.

EXPLICATIO.

Ea autẽ demum legitima eſt Inſpectio, qvæ *puræ & ſinceræ doctrinæ conſervationem atq; propagationem unicè intendit, errorum & corruptelarum defenſionem impedit, veritatis confeſſionem errorumq; refutationem juvat*, blasphemos, famoſos atq; contumelioſos libellos proſcribit, falſa dogmata, ſcandala atq; diſſidia prohibet, conſenſum & concordiam in Chriſto ſalutarem promovet, diſciplinam Eccleſiaſticam Eccleſiæq; ædificationem omnibus modis inculcat, prælorum abuſus & oppreſſiones inhibet, nefandos impiorum conatus reprimit, atq; ſic Eccleſiæ, Reipublicæ & poſteritati inſigniter prodeſt. Tali & tam laudatæ Inſpectioni qvis bonorum libros ſuos promptè non ſubjiciet? Ea qvoqve literati homines & Theologi modeſtia ſunt præditi, ut probatæ pietatis atqve eruditionis viros Cenſores facilè admittant, *ſi modò qvid deſiderent, bona fide indicent, ac nihil ſine ratione ex verbo DEI aſſignata vituperent aut impediant.* Et qvia pii atq; docti Viri ſcriptis ſuis Eccleſiæ & Reipublicæ commoda qværunt, ideò æqvo animo ferunt, ſi legitima ex verbo DEI judicia, an vera ſint & utilia, an ſecus, ide iis exerceantur. Sciunt qvoqve *Spiritus Prophetarum Prophetis ipſis ſubjiciendos eſſe, ac ſingulis in Eccleſia eam à DEO poteſtatem factam eſſe, ut omnia probantes bona teneant, mala verò abjiciant.* Et cùm aliàs ſingulorum judicia ſubire oporteat, hinc moleſtè non ferunt legitimas cenſuras eorũ, qvi ab Eccleſia & Magiſtratu legitimè vocati bona atq; ſalutaria Scripta non ſupprimunt. Illegitimæ autem Inſpectioni libros ſuos neqvaqvam ſubjicient eruditi. Qvæ enim malè fiunt, nullo modo ſeu re ſeu verbis approbari poſſunt. Sciunt

Theologi

Theologi ſuum Eccleſiæ jus ſervandum eſſe, & probè cavendum, nè ullo modo imminuatur. Jam autem illegitima Inſpectio Eccleſiam jure atq; commodis ſuis privat, qvis ergò bona conſcientia libros ſuos eidem ſubmittet? Spiritus S. qvemlibet DEI Miniſtrum libero ore atq; ſtylo dicere & ſcribere veritatem vult. *Illegitima autem Inſpectio Eccleſiæ Miniſtris frenum injicit, ne dicant & ſcribant veritatem*, ne vocem ſuam ſicut tubam exaltent, ne peccantes arguant. Hanc ergò illegitimam Inſpectionem, veritati, confeſſioni atq; poſteritati maximè nocentem reprehendere qvemvis Theologum decet. Acſi vel maximè illegitimæ Inſpectioni libros ſuos ſubjicerent Theologi, qvid aliud qvàm moleſtiam inde referrent. Nam injuſti ejusmodi Cenſores Scripta illa, qvæ ad DEI gloriam, veritatis propagationem, errorum refutationem atq; impiorum converſionem pertinent, aut prorſus ſine omni probabili, nedum pia & firma ratione rejiciunt, aut tenebris cuſtodienda, aut tineis devoranda tradunt. Omnia autem hæc peccata, qvæ ab illegitimis Inſpectoribus in veritatis oppreſſione errorumq; propagatione patrantur, ab iis, qvi talibus ſe ſubjiciunt, confirmari neceſſe eſt, niſi teſtentur, ſe factum hoc, qvod præter jus & æqvum ſit, nullo modo probare, nolle ſe eorum præjudiciis aſſentiri, cùm ſine verbo DEI & gravibus rationibus pronunciaverint. Ne ergò aſſignatum Magiſtratui circa libros edendos jus in licentiam abeat, & in Eccleſiæ atq; Reipublicæ perniciem vergat, ſeq. theſi cavebimus.

Th. IV.

Inſpectionis jure Magiſtratus ad Eccleſiæ ejusdemq; Doctorum libertatem evertendam, optimorumq; librorum ſuppreſſionem neqvaqvam abutatur.

EXPLICATIO.

Magiſtratus utriusq; tabulæ cuſtos à DEO conſtitutus eſt, operam ergò dabit, ut Eccleſia ejusdemq; Doctores retineant

eam libertatem, qvàm à Christo acceperunt, DEI veritatem sc. vo-
ce & stylo propugnandi atq; propagandi. Neq; verô ea licentia
in fructuosa Doctorum Scripta feratur, *ut eadem de perverso suo ar-*
bitrio atq; nutu exprimantur aut opprimantur, evulgentur aut occul-
tentur. Exulent iniqvissima ista mandata, qvibus Protestantium non-
nullorũ conscientiæ superiori seculo iniqvisimè fuerunt oneratæ.
qvæ cùm ad thematis nostri illustrationem permultũ faciant, ex CL.
MATTHÆI JUDICIS *lib. de Typogr. c. 19.* p. 55. hîc subjicere non pige-
bit: Nos Principes, Consules &c. Vobis Ecclesiæ Ministris impera-
mus, *ut juxta eam formam, qvam vobis præscribimus, doceatis.* Nos
enim utriusq; tabulæ Custodes sumus, *& potestatem habemus novas*
doctrinæ formas præscribendi, qvò inter dissentientes pax & concor-
dia servetur. *Hunc librum, hoc corpus doctrinæ ab isto homine scri-*
ptum amplecti debetis, & per omnia probare. Si qvis contra illud
disputaverit, eum concilium nostrum damnabit, & nos illum pro-
scribemus. *Non enim libri hujus Auctor errare potuit, ejusq; scri-*
pta canonicis & avthenticis jure æquiparantur. Cùm de Cœna Do-
mini agitis, *neqvaqvam dicetis, in S. Cœna in & cum pane verum &*
substantiale Christi corpus, qvod in cruce pependit, exhiberi. Nemi-
nem in Confessione examinabitis, qvid de cõtroversis doctrinæ capitibus
sentiat. Neminem ab Absolutione, Baptismo aut S. Cœna suspende-
tis aut removebitis, nisi prius in Aula & Consistorio nostro accusatum,
& nostra sententia damnatum. Secus enim facientes homines in-
famatis, & Magistratui regalia sua eripitis. Neminem scanda-
losum peccatorem Ecclesiæ & offenso fratri reconciliandum ex
suggestu denunciabitis, qvod lapsus delictum suum agnoscat, &
roget, ne qvis malo suo exemplo innitatur. Hoc enim est huma-
nis traditionibus conscientias onerare. *Neminem publicè delin-*
qventem, & à Magistratu punitum censura Ecclesiastica onerabitis.
Nefas enim est aliqvem duplicem pœnam pati. *Hæreses alios q; er-*
rores publicè non damnabitis. Hæc enim ad ædificationem non
faciunt, sed irritant tantùm homines, Magnatum odia conciliant &
disidia augent. Et scriptum est: nolite judicare, & non judicabimi-
ni. Nec qvoqve vel nostris vel externis prælis contra hæreticos ul-
lum scriptum, nisi de nostra voluntate & consensu edetis. Et qvam-
vis nul-

vis nullis rationib. fulti scripta vestra mora censuræ, situ & incarceratione in errorum patrocinium oppresserimus, è contra libris eorum, qvi corruptelas ferunt, veritatem corrumpunt, incautis venena propinant, & vineam Domini vastant, fenestras aperiamus, nullius tamen impietatis, defectionis à vera fide, declinationis ab exemplo Majorum, nostrorum nos arguetis & damnabitis. Nam & nos Spiritum DEI habemus, nec errare possumus, aut eum ferre, qvi nobis contradicat, aut qvicqvam præscribat. *O inauditam conscientiæ carnificinam! Hæc superiorum temporum facies fuit, probibeat benignissimum Numen, ne eadem iniqvitas tempora nostra premat.* Hac autem tyrannide libertas Ecclesiæ à Christo parta evertitur. DEUS enim omnium piorum, maximè verò Theologorum vocem atq; stylum in veritate, qvæ commune Ecclesiæ patrimonium est, asserenda vult liberum esse, & præter Ecclesiæ judicium juxta normam verbi DEI ferendum nullius hominis auctoritati & imperio ita subjectum, ut ex ejus arbitrio fiat aut intermittatur. Nihil DEUS in Ministro & Doctore Ecclesiæ magis desiderat, qvàm ut liberè sine ullius hominis respectu scribat aut dicat, qvæ ad DEI gloriam Ecclesiæq; ædificationem faciunt. Et sanè gravissimum προλυπραγμοσύνης vitium in currunt Magistratus, dum neglectis iis, qvæ propius ad ipsos pertinent, aliena curant, reprehendendo conatu Ministris Ecclesiæ dictantes: *hunc librum edes, illum non, qvia nobis non placet.* Etsi enim omnia, qvæ in illo continentur, verbo DEI probentur, ne tamen periculum accersatur, ne dissidium augeatur, ne hæretici excitati respondeant, ideò imperamus, ne illum in publicum des. At hac ratione veræ religioni, Ecclesiæ plantationi & posteritati maximum creatur damnum. Ut enim vera religio ad posteros qvoqve propagetur, Diaboli regnum enervetur, impii cultus & errores impediantur, libera opus est confessione, non tantùm qvæ ore fiat, sed etiam qvæ stylo. Confirmat hoc & experientia & Historia Ecclesiastica. *Nisi n. Apostoli, eorum Successores & Patres hæreticorum errores stylo & libris refutassent, veramq; doctrinam defendissent, qvæ qvæso posteritati religio mansisset?* Qvæ enim voce exposuerunt, oblivioni tradita sunt, sed scripta eorum à posteritate lecta sunt, & hodie adhuc cum fructu leguntur. Si

tur. Si autem sol Magistratus inspectionis officium rapuissent, ac propter carnales rationes necessarias Confessiones, qvæ à Doctoribus illius seculi editæ sunt, impediviſſent, annon veritati ad posteros propagandæ obstitissent? annon proditæ veritatis jure accusari possent? annon posteri de iis summo jure conqvererentur, qvòd tyrannide illorum veritate, qvæ alias per piorum Doctorum scripta propagata fuisset, privati sint? Si verò Ecclesiæ Doctoribus jus suum tribuat Magistratus, Reipublicæ salutem non parùm promovet. Homines enim ex verbo Dei informati de Magistratu piè & honorificè sentiunt, eidem ut Dei Ministro libentius parent, imperata fidelius præstant, & propter conscientiam à sceleribus, sibi cavent, atq; ita Gubernatoribus suis minus negotii facessunt, imò precibus suis pro Magistratu multa mala impendentia & exilium Rebuspublicis minitantia avertunt, aut præsentium mitigationem impetrant. Ac falsissimum est, qvod qvidam impiè somniant, qvod, *si Ecclesiæ Ministris frenum non injiciant, ac qvid, & qvomodo docere, & claves administrare debeant, præscribant, seditionis fundamenta jaciant.* Ministri Ecclesiæ intra vocationis suæ metas se continentes, & juxta DEI mandatum docentes, claves & sacramenta administrantes, Magistratus potestati nil qvicqvam derogant. Ipsi cum vita sua bonis & rebus externis Magistratui sunt subjecti. Experientia testatur, veros & sinceros Doctores eorumq; auditores seditionem nunqvam movisse. Falsa autem dogmata profitentes eisdemq; addictos, ad Satanæ ingenium accedentes mendaces, homicidas atq; seditiosos plerumq; fuisse, omniũ temporum historiæ probant. Qvamvis autẽ Ministri Ecclesiæ qvoad politicas actiones Magistratui sint subjecti, & ab eodem, tanqvàm DEI ministro, si benè agant, honorem, si malè terrorem & pœnam expectent; *qvoad conscientiam tamen, fidem, doctrinam, confessionem & opera vocationis suæ Magistratum non agnoscunt Dominum, nec qvid & qvomodo in Ministerio suo agere debeant, nova decreta expectant. A solo DEO pendent, qvi conscientiarum dominium sibi vendicat, & modum docendi, Sacramento & claves administrandi cæteraq; Ministerii officia verbo suo exposuit. Potest qvidem Magistratus doctrinæ & factorum rationem à Ministris*

Ecclesiæ

Ecclesiæ exigere, ita tamen, ut juxta solius Dei verbum, non juxtà ullius hominis arbitrium de illis judicetur. Prohibeat autem, ne Ecclesiæ Ministri affectib. suis nimium indulgentes contra pacta religiosa, v.g. Osnabrugo-Monasterienſem pacem, ac qvicqvid demum fundamentales S. R. Imperii leges jubent, qvicqvam pronuncient, ut rectè monet BURGOLDENSIS *Discurs. ad Instr. Pac.* p. 11. disc. 18. p. 158. Qvæ enim ex neglectu hujus officii incommoda seqvantur, aliqvot exemplis docuit Dn. Ph. KNIPPSCHILD, *Syndicus Reipublicæ Eslingensis famigeratissimus* lib. 2. de jur. & privileg. Civit. p. 271. Si librum edunt, nomina sua subjiciant, rationemq;, ubi necesse fuerit, promptè reddant, parati pœnas s. Ecclesiasticas sive Politicas pati, si qvid contra pietatem scripsisse convincantur. *Magistratus ex adverso Ministerio divinitus ordinato qvoad conscientiam & animam est subjectus, tenetur ex eo verbum Dei audire, memori mente condere, disciplinæ Ecclesiasticæ sive clavibus se submittere, Sacramentis uti, pie vivere & scandala vitare.* Debet Christo portas aperire, Ecclesiæ plantationem promovere, & qvæ eam impediunt, removere. Inprimis autem Typographias sedula cura inspiciat, ne qvævis promiscuè excudantur, de qvo seq. thesi monebimus.

Th. V.

Typographi ea tantùm, qvæ ad Dei gloriam, veritatis propagationem & communem utilitatem pertinent, at non sine Inspectoris vel Decani in Facultatibus Academicis censura & consensu, imprimant.

EXPLICATIO.

Cùm ars Typographica publicè utilissima & pulcherrima ingentium sæpissimè scelerum atq; flagitiorum instrumentum facta fuerit,

fuerit, ne posthac tot abusibus pervia esset, æqvissimas hasce leges (qvas ex LANSII *tract. de Academiis p.* 47. recensebimus) *Cæsari expressit: Typographiæ nullibi, præterqvam ubi, Electores Principesve sedem aulamve habuerint, vel Studiorum Universitates fuerint, Imperiive civitatibus constituuntor: Typographi à Magistratu approbantor: in Imperii de editione librorum latas leges juranto: à libellis famosis sub gravibus pœnis & librorum confiscatione abstinento: nihil nisi visum probatumq; à Magistratu imprimunto: nomen Auctoris, suumq; & locum atq; annum edunto. Adversus ea si qvid fiet, libellis confiscatis Librarii, Detentores, Sparsores severè puniuntor. His rebus servandis, typographiæ ex improviso à Magistratibus subinde inspiciuntor: Si qvid hi per negligentiam, gratiam, collusionem dissimularint, indignatione aliisq; pœnis extraordinem à Cæsare mactantor.* Idem Imperii Recessibus, à LIMNÆO in *Jur. publ. Rom. Germ.* t. 1. lib. 5. c. 10. allegatis, firmatum, qvos si lubet, vide. Qvapropter à Typographis omnis abesse debet *impietas*, ne ea excudant, qvæ cum vera religione, pietate, honestate & communi utilitate pugnant. Præcipuas improbatæ lectionis librorum classes recensuit laudatus D. FRITSCHIUS Tract. de Typogr. c. 5. Absit *avaritia*, ne ad sua tantùm commoda attenti, qvæ majori lucro sunt, & faciliori opera vendi possunt, qvæcunq; demum sint, excudant, aliis, qvæ ad Dei gloriam & veritatis propagationem faciunt, abjectis. Neq; parvi faciant, sive pro sive contra conscientiam & honestatem scripta imprimant, verubus similes, qvæ affixas, sive mundi sive immundi animalis carnes circumagunt. Hac enim ratione alienorum peccatorum participes se reddunt, divinas & civiles pœnas incurrunt, typis contra Dei gloriam, proximi dilectionem & publicam tranqvillitatem abutuntur. Recordentur potius juramenti sui tam Deo, qvàm Magistratui præstiti, qvo obligantur ad promovendum ea, qvæ ad Dei gloriam, veritatis propagationem & communem utilitatem pertinent. *Et hic qvoqve legitimæ Inspectionis salutaris finis est. Qvi ut perpetuò obtineatur, ac singulæ Respublicæ veritatem & pacem sectentur, Numen benignissimum precor, eidemq; simul pro concessis divinitus viribus grates solvo immortales!*

De In

pub

. I. Re-

taliter

AUCTORI

DORIS AM

JUSTI

TIA, SPLEN-

GRAVITATE,

undiquaq;

CO

QV

CO

SE

IS,

atqve

,

is,

Dominis C

rumq; s

bu

ergetis Studio-

tivè Patri

issimè

Academico

bon

gul

rint

con

pat

hu

in illustri Leucorea

um suum civem sin-

s hactenus cumula-

antiæ monumentum

a annuente gratia ad

volentia excipiant,

CHAEL BONHÖFER,

Præses.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-669-p0017-8